



**O**swaldus Lucernę apud Heluetios anno 1488 natus est. Is cum à pueris operam literis daret, atq; prima rudimenta in patria percepisset, sese ad Academiam Basiliensem contulit, & artibus ac linguis diligentem operam nauauit. In ijs quoq; egregiè profecit, atq; Erasmi Roterodami & Henrici Glareani studiosissimus fuit. à quibus etiam ob ingenij præstantiam uicissim diligebatur, anno circiter 1514. Cum hoc modo pergeret, primò Ludimoderator ad S. Theodorum, postea quoq; ad S. Petrum constitutus fuit. In ijs locis magna diligentia iuuentutem instituit, atq; post aliquot annos Tigurum uocatus fuit, ut eam puerorum scholam mo-

deraretur. Ibi cum per triennium docuisset, amicorum opera Lucernam in patriam uocatur, atq; primarię scholę præficitur. Eo autem tempore doctrina Euangelij passim publicabatur. eam cum ipse amplecteretur, atq; iuuentuti, quam in ea schola frequentem habebat, inculcare cuperet, Lucerna dimissus, anno circiter millesimo quingentesimo uigesimo tertio iterum Tigurum redijt, atque denuò ibi Ludimoderatorem egit. Cum autem Zuinglius acie occubuisset, atq; literarum cultores à multis ciuibus negligenterentur, Oswaldus sub initium anni 1532 Basileam redijt, atq; molestijs Ludimoderatorum liberatus, Diaconus ad S. Albanũ eligitur. Cum etiam Oecolampadius obiisset, ipse Theologicam lectionem absoluit, & Euangelium Marci magno auditorum applausu exposuit.